

SALLUSTE

Conjuration de Catilina

V. [1] L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna ui et animi et corporis, sed ingenio malo prauoque. [2] Huic ab adulescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia ciuilis grata fuere ibique iuuentutem suam exercuit. [3] Corpus patiens inediæ, alioris, uigiliæ supra quam cuiquam credibile est. [4] Animus audax, subdolosus, uarius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus ; satis eloquentiæ, sapientiæ parum. [5] Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. [6] Hunc post dominationem L. Sullæ libido maxuma inuaserat rei publicæ capiundæ ; neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. [7] Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quæ utraque iis artibus auxerat, quas supra memorauimus. [8] Incitabant præterea corrupti ciuitatis mores, quos pessuma ac diuersa inter se mala, luxuria atque auaritia, uexabant. [9] Res ipsa hortari uidetur, quoniam de moribus ciuitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiæque, quo modo rem publicam habuerint quantamque reliquerint, ut paulatim inmutata ex pulcherrima atque optima pessuma ac flagitiosissima facta sit, disserere.

X. [1] Sed ubi labore atque iustitia res publica creuit, reges magni bello domiti, nationes feræ et populi ingentes ui subacti, Carthago, æmula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terræque patebant, sæuire fortuna ac miscere omnia cœpit. [2] Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile tolerauerant, iis otium diuitiæque optanda alias, oneri miseræque fuere. [3] Igitur primo imperi, deinde pecuniæ cupido creuit : ea quasi materies omnium malorum fuere. [4] Namque auaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas subuertit ; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia uenalia habere edocuit. [5] Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstumare magisque uoltum quam ingenium bonum habere. [6] Hæc primo paulatim crescere, interdum uindicari ; post, ubi contagio quasi pestilentia inuasit, ciuitas inmutata, imperium ex iustissimo atque optimo crudele intolerandumque factum.